

XVI

AD POPVLVM ROMANVM

Heroico-iambicus maior

Altera iam teritur bellis cīvīlibus aetās,
 Suīs et ipsa Rōma vīribus ruit :
 Quam neque fīnitimī valuērunt perdere Mārsī,
 Minācis aut Etrūsca Porsenae manus,
 Aemula nec virtūs Capuae, nec Spartacus ācer,
 Novīsque rēbus īnfidelis Allobrox ;
 Nec fera caeruleā domuit Germānia pūbe,
 Parentibusque abōminātus Hannibal ;
 Impia perdēmus dēvōtī sanguinis aetās
 Ferīsque rūsus occupābitur solum.
 Barbarus, heu ! cinerēs īnsistet victor, et Urbem
 Eques sonante verberābit unguā,
 Quaeque carent ventīs et sōlibus, ossa Quirīnī
 (Nefās vidēre) dissipābit īnsolēns !
 Forte, quid expediat, commūniter aut melior pars,
 Malīs carēre, quaeritis, labōribus.
 Nūlla sit hāc potior sententia : Phōcaeōrum
 Velut profūgit exsecrāta cīvītās,
 Agrōs atque Larēs patriōs habitandaque fāna
 Aprīs reliquit et rapācibus lupīs,
 Īre, pedēs quōcumque ferent, quōcumque per undās
 Notus vocābit aut protervus Āfricus.
 Sīc placet ? An melius quis habet suādēre ? Secundā
 Ratem occupāre quid morāmur ālite ?
 Sed iūrēmus in haec : ‘Simul īmīs saxa renārint
 Vadīs levāta, nē redīre sit nefās;
 Neu conversa domum pigeat dare lintea, quāndō
 Padus Matīna lāverit cacūmina,
 In mare seu celsus prōcurrerit Appennīnus,
 Novāque mōnstra iūxerit libīdine
 Mīrus amor : iuuet ut tigrēs subsīdere cervīs,
 Adulterētur et columba mīluō ;
 Crēdula nec rāvōs timeant armenta leōnēs ;

Ametque salsa lēvis hircus aequora.’
 Haec, et quae poterunt reditūs abscindere dulcēs,
 Eāmus omnis exsecrāta cīvītās,
 Aut pars indocilī melior grege ; mollis et expēs
 Inōmināta perprimat cubīlia.
 Vōs, quibus est virtūs, muliebrem tollite lūctum,
 Etrūsca praeter et volāte lītora.
 Nōs manet Oceanus circumvagus : arva, beāta
 Petāmus arva, dīvītēs et īnsulās ;
 Reddit ubī Cererem tellūs inarāta quotannīs,
 Et imputāta flōret ūsque vīnea,
 Germinat et numquam fallentis termes olīvae,
 Suamque pulla fīcus ōrnat arborem ;
 Mella cavā mānant ex īlice ; montibus altīs
 Levis crepante lympha dēsilit pede.
 Illic iniussae veniunt ad mulctra capellae
 Refertque tenta grex amīcus ūbera,
 Nec vespertīnus circumgemit ursus ovīle,
 Nec intumēscit alta vīperīs humus ;
 Plūraque fēlicēs mīrābimur : ut neque largīs
 Aquōsus Eurus arva rādat imbribus,
 Pinguia nec siccīs ūrantur sēmina glaebīs,
 Vtrumque rēge temperante caelitem.
 Nōn hūc Argōō contendit rēmige pīnus
 Neque impudīca Colchis intulit pedem ;
 Nōn hūc Sīdōniī torsērunt cornua nautae,
 Labōriōsa nec cohors Vlīxēī :
 Nūlla nocent pecorī contāgia, nūllius astrī
 Gregem aestuōsa torret impotentia.
 Iuppiter illa piaie sēcrēvit lītora gentī,
 Vt inquināvit aere tempus aureum :
 Aere, dehinc ferrō dūrāvit saecula, quōrum
 Piīs secunda, vāte mē, datur fuga.